

Bibliothèque numérique

medic@

**Duverney, Emmanuel-Maurice -
candidat / Besnier, Henri - président. -
An à salibus Digestio ?**

1713.

***Paris : Apud Jacobum Quillau,
Typographum Juratum
Universitatis, in viâ vulgò dictâ,
Galande***

Cote : ms 2325 n°85



DEO OPT. MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINIQUE DEIPARÆ
ET DIVO LUCÆ

ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA.

*Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in
Scholis Medicorum, die Jovis vigesima tertia
mensis Februarii 1713.*

M. HENRICO BESNIER, Doctore Medico,
Præside.

An à salibus Digestio?

I.

A Chymicis non parùm utilitatis Medicinâ percepit. Suis debetur anti-
quis honos. Nobis sapientiâ non inferiores palmam, si reviviscerent,
fortè deberi faterentur. In enodandis corporis humani functionum
miraculis quid conferunt facultates, temperamenta, elementa? quibus si no-



minis vanitatem detraxeris, fortè nihil supererit, quod mens assequi possit. Felicior hæc ætas sibi ex veterum observationibus nata commoda velut hereditario jure arrogavit, & novis adjectis rimando ipsa naturæ viscera, causas ignis ope expiscari tentavit. Salibus, sulphuribus, phlegmate & terrâ deprehensis, Recentiores naturæ studiosi laudabili conatu & sanè non infelici, omnia ab istis phænomena deduxerunt. Hinc tot luminibus fulget nova Medicina, tam perspecti corporis humani motus, sive juxta leges à natura præscriptas exerantur, sive deflectant à legibus. Hinc tam perspecta vis & tantæ pharmacorum veteribus ignotæ species, quæ si à sapientibus industriâ manu exhibeantur, tot solvunt morbos pertinaces & ancipites quos antiqua Medicina suæ forti committebat. Hinc digestionum, variorum motuum, quibus corporis solidæ partes abripiuntur, fluidæ conteruntur, effervescent, præcipientes agunt partes heterogeneas à cæteris dissociabiles, tam constans & æquabilis imperus, hinc denique & sanitatis integritas, sulphuribus, salibus, phlegmate & terrâ æquâ ratione inter se contemperatis, & exitialis fati necessitas, ex cohæsiōe inter hæc principia deletâ & dissolutâ,

I I.

RUDIS Chymicorum esset, qui digestionem à salibus fieri inficiaretur. Tanto salium genere imprægnantur & solida & liquida alimenta cæteraque corpora, ut inde efficaciam ea nacta fuisse constet. Vere novo terrâ solutâ, aquis dissoluti sales ærei quibus terræ sunt prægnantes in tubulos arborum & plantarum, trachæis per spatia juvantibus devehuntur, in solidam substantiam cum aliis principiis facessunt, vimque vel medicatricem vel alimentariam impertiuntur. Unde nisi à salibus phlegmate solutis tantopere vinum, grana omnis generis, fructus fermentescunt. Tanta æris eâ fermentatione copia gignitur, ut ex pyris contritis elicitus ær in machina pneumatica ad centum digitorum altitudinem mercurium evehat. Scrutare singula naturæ opera; ex istis præcipuum, digestio; voluntur & revolvuntur in ventriculo alimenta benigniori & tonicâ ventriculi contractione, sales succi digestivi è glandulis erumpentis, potulentis soluti impingunt in ergastula, quibus coercetur quem nutritiæ plantæ hausserunt à terræ visceribus salium proventus; in libertatem vindicantur, secum invicem magnâ luctâ congregiuntur, & totius molis solvitur compages.

I I I.

ASulphuribus deducendos esse admirabiles naturæ labores & industriam commentum est, ingeniosum quidem, commentum tamen. Quanto rectius à salibus repetendi erunt & tumultus quos inter se cient sibi commixti varii liquores chymici, & calor vel frigus quod ex quorundam mistura percipitur. Genesim salium ab ipso Deo exortam confitebitur quisquis velut indomitam eorum naturam fuerit contemplatus. Metalla imitantur quæ vim om-

nem eludunt, eâ pertinaciâ, ut indolem nunquam deponant; diversam & sales & metalla larvam induunt, eâ detractâ, sibi-ipsis, integritatique suâ restituantur. Nos ducti sensibus tot excogitavimus salium species, quot in animam sensationes inducuntur, splendidâ, at mendaci fascinatione. Unicam esse remur in natura salis speciem, quod acidum dixerimus. Pro ratione, & cohesione hujus principii cum ceteris, aut amaritudinem, aut acorem, aut asperitatem & acerbitatem infert in linguam, terrâ, phlegmate, sulphuribus quasi vinculis, & variâ intercapedine mitigatum & sejunctum, non linguæ & visceribus eam infert molestiam, quâ afficerentur, si ab aliis principiis spoliatum, ut fit arte chymicâ, in membranas vires omnes exereret.

IV.

ALIMENTA contrita dentibus, imprægnata salivâ, & salium conatibus magis patefcunt, & ex fragilioribus parietibus jam constant quàm ut impetus illorum sustineant. Fractis tumultus concitantur, sales tum phlegmate copioso natant, delapsi in intestina novum cum bile & succo pancreatico certamen ineunt, sulphurea sulphureis, salina salinis, terrestria terrestribus confociantur: quæ volatilia ex eo conflictu eruperunt, suprema petunt, quæ gravioris sunt ponderis delabuntur in præceps. Injuriâ credideris istud ex vividioris imaginationis jucundo & palpante errore esse deductum. Consule chymicos artifices; contemplare, permixtis liquoribus, efferos quos edunt tumultus, substantiarum discrimina, varias præcipitationes pro salium diversi generis varietate, qui certis in liquoribus aut redundant aut deficiunt. Perpendas panem dentibus subactum salivâ imbutum, in loco calidiori, sed humido repositum, in chylum totum abire; miscueris salem acidum volatilem Tachenii cum omni ciborum genere, quos simul cum eo sale contriveris non absimilem chylo naturali tibi chylum referent. Stabit inconcussum istis argumentis omnia liquida salibus tum volatilibus tum fixioribus facta esse: hæc dum impingunt in membranas benignâ titillatione sollicitant; innato sibi elatere istæ tantum resiliunt quantum premuntur, & motu oscillatorio coarctant quem completantur liquorem, atque ulterius urgent, is mole suâ vasorum parietes ab invicem diducit. Sic absolvitur & tritura liquidorum & eorumdem fermentatio.

V.

PLURIMA in humano corpore tanto splendent lumine, tantâ oculos rapiunt pulchritudine, ut hominem jure dixeris omnium quæ toto in orbe pariunt admirationem esse compendium. Digestio minus sensus ferit, magis capit animum & allicit. Quomodo ex crassâ rudique materiâ tantæ tenuitatis & exquisitæ virtutis substantias quispiam autumat eximi posse, nisi ipse experiretur? At quoniam vulgaribus minus movemur, vix ad ea quoque animum appellimus. Torpesceret tanto artificio fabricata machina corporis, nisi fluidis variorum salium singulari virtute & acuminis armatis in eos motus erumperet, qui & animalibus functionibus & voluntatis imperiis obcundis

inserviunt. Tot incerniculis, funibus, rotis, trochleis, vectibus tam micā inter se cohæsiōne mathematicâque ratione aptatis stupenda machina constat, ut omni careat fide, simplici liquido salino in diversos tubulos illabente, & moveri tot varias partes, & tot officiis defungi ut omnium sæculorum acutissimi Philosophi exclamaverint corpus humanum omnium miraculorum esse inexhaustam congeriem.

Ergo à salibus Digestio.

Domini Doctores disputaturi.

*M. Michaël Procope Cou-
reaux.*

*M. Joannes Claud. Adrian.
Helvetius.*

M. Salvator Cluscard.

M. Claudius du Cerf.

*M. Joannes-Bapt. Engue-
hard.*

M. Claud. Vergne.

M. Franciscus Vezou.

M. Dominicus de Farcy.

M. Claudius Guerin.

A Sextâ ad Meridiem.

Proponebat Parisiis EMMANUEL-MAURITIUS DU VERNEY,
Parisiinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1713.

PARISIIS,

Apud JACOBUM QUILLAU, Typographum Juratum Universitatis,
in viâ vulgò dictâ, Galande.